Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Diervm Illvstrivm Societatis Iesv. siue in Anni dies digestæ Mortes Illvstres Eorum qui ex eadem Soc. Iesu, in odium fidei, pietatis, &c. ... confecti sunt

Nádasi, János

Romæ, 1657

P. Thomas Hollandus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44029

Visual Library

P. Thomas Hollandus.

Anglus. *Londini.* *22. Dec.* *1642.* *ætat. 42.* *Soc. 19.* *B. V.* *Humilitas.* *Pia colloquia.*

Morum elegantiâ, ac virtute in placido ingenio magis gratâ & eniteſcente fuit eximius. Puer olim in Audomarenſi ephebio cùm Sodalium Deiparæ albo eſſet inſcriptus, cum duobus alijs è Parthenio illo cœtu in præſtitutũ locum conueniebat. Ibi preces ad Cœli Auguſtam fuſæ; habitaque de illâ pia colloquia. Tum in eiuſdem Virginis honorem ea humilitatis exercitatio eſt inita, vt viciſſim alter alterum commonefaceret de erratis, ſi quidpiam in Socio aduertiſſet. In Societate quoque tantâ pollebat gratiâ & eruditione in ſerendis diuinis colloquijs, vt *conflatus è ſpiritu*, & *Bibliotheca librorum Spiritualium* diceretur.

tur. Cùm iuuenes in Semi- *Mortif.*
nario regeret, illos præclarè in ſpiritu educabat, & perſæpè ſe pro ſalute illorum flagris accipiebat. In Anglia, totus licèt in Catholicorum ſalutem eſſet intentus, tamen dexteritate mirâ ſe ab hæreticis tuebatur, alium pro alio ſcitè ſimulans, citra mendacium. Londini ab Apoſtata fidei proditus, 14. Octobris tentus, poſtea capitis damnatus eſt; Iudice *Fides.*
ipſo diſertè faſſo pro tribunali palàm: ſe nihil criminis de illo aliud habere quàm, *quòd ſit Sacerdos Catholicus*. Auditâ capitali ſentẽtiâ Thomas lætè reſpondit: *Deo gratias!* In carcere autem, Socios ad *Te Deum laudamus* vnà recitandum inuitauit. Moriturus, aiebat ſe eſſe Catho-

Amor Dei. tholicum Sacerdotem, & Ieſuitam; paratum autem religionis causâ pro Deo ponere vel tot vitas quot haberet capillos in capite, quotque in Oceano eſſent guttæ, ac perfectiones in Deo. Cùm iam ſuſpendẽdus eſſet, clauſit oculos tantiſper; ac mox apertos in quendam de Societate iſtic præſentẽ coniecit ex initâ pactione; quod erat ſignum eum peccata fatentem è formula Eccleſiæ abſoluendi. Tum appenſus, ſtrangulatus, deiectus è furcâ, & in partes quadrifariam ſectus eſt, pro more Anglicano.

Petrus Correa, & Ioannes Soſa.

Luſit. in Braſil. 24. Dec. 1554. Soc. 5. Hos hoc die collocat Stratius in Menologio; Catalogus tantùm in Decembri ponit.